

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several vertical stems and some horizontal lines.

moda qui toto cor de poscent e

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several vertical stems and some horizontal lines.

inim vni tota nos de uoni

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several vertical stems and some horizontal lines.

bet commite re

Handwritten musical notation on a four-line staff, consisting of several vertical stems and some horizontal lines.

tum eue natimam de ho

Handwritten text in the left margin, possibly a page number or reference.



8753

4265

R XVII. 5. no. 123.



bund f. 62



1

67


THESES DIDACTICÆ UNDEVIGINTI,  
*De*  
REGENERATIONE NO-  
STRI, REGENERATORUMQUE OF-  
ficio; Rom. 6.

*In inclyta Marpurgensi Academia publica disputationi  
subjecta,*

SUB PRÆSIDIO  
Reverendi & Clarissimi Viri,

DN. RAPHAË-  
LIS EGLINI ICONII, S.  
THEOL. DOCTORIS ET PROFESSO-  
ris ordinarii,

*Respondente*  
DAVIDE STOLLIO, MARIÆBURGENSI,  
BORUSSO.



*Marpurgi Civitatum*  
Ex Officina Rodolphi Hutwelckeri,  
Anno 1614.





HANC  
**REGENERATORVM**  
DIEXODUM SACRAM,  
DUCE ET AUSPICE CHRISTO,  
*Vobis*

Nobilissimis Juvenibus,  
Dn. PROCOPIO BRONIEVSKI, Equiti Polono:  
Dn. HENRICO BRUNSVIGIO, Gedanensi Boruffo,  
*Dominis suis gratiosis,*

*Docendo ac Ducendo,*  
Ut observantiae & grati animi *recompensatio*, sic futurae vitae, peregrinationisq; caelestis tabellam votivam,  
suspendit.

David Stollius, Respondens.





THESES DIDACTICÆ UNDEVIGINTI,  
*De*  
REGENERATIONE NO-  
STRI, REGENERATORUMQUE OF-  
ficio, Rom. 6.

*Thesis I.*



Eatus Apostolus Paulus totius salutis nostræ cardinem in unico Domino nostro Jesu Christo, propter peccata nostra tradito, & propter justificationem nostram excitato, ponens (Rom. 4.25.) non solummodo ex fide per imputationem nos absolvi, quod est justificari, docuit gratis; ut habeamus pacem erga Deum per Dn. N. Jesum Christum, & gloriemur sub spe gloriæ filiorum Dei: Verùm etiam Doctrinæ Justificationis Regenerationis nostræ beneficium subjunxit, Rom. 6. & alibi.

2.

Ex quo intelligitur nullam carni dari licentiam per gratuitam remissionem peccatorum, & imputatam nobis justitiam Christi: sed idè Christum dedisse semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsentis seculo malo, hoc est, non tantùm ut redimeret nos ab omni iniquitate; sed etiam purificaret sibi populum peculiarem, Zelotem honorum operum. (Gal. 1.4. Tit. 2.14.) ideoque & resuscitatum esse in gloriam patris, ut con-

A 2

for-



formatione ejus mortis ipsi implantati, etiam resurrectionis co-  
alescamus conformatione, & in novitate vitæ incedamus. Rom.  
6. 4. 5.

3. Cùm igitur individuo nexu inter se Justificationis & Rege-  
nerationis nostri gratia cohæreat, postquam de illâ superiore  
disputatione nostrâ egimus, paucis de hac quoque *ὅτι χριστῶ* in  
præsenti differemus.

4. Est igitur regeneratio nostri secunda nativitas, non cor-  
poralis per regressum in uterum matris (ut Magister Israëlis Ni-  
codemus delirabat, Joh 3. 4.) sed spiritualis, diciturque Renova-  
tio, & circumcisio cordis, & nova creatura synonymas in Scri-  
pturis, adeò ut etiam de gloria resurrectionis sumatur (Matth.  
19. 28.) Est autem secundum rem, Spiritus sancti operatio, qua  
mediante fide, vi mortis Christi sensim in nobis mortificatur  
vetus Adam, & novus homo quotidie virtute resurrectionis  
Christi vivificatur, donec illi erimus similes in illo die: purifi-  
cantibus sese interea, quotquot hanc spem habent. 1 Joh 3. 2. 3.

5. Discernuntur igitur Justificatio & Regeneratio, quod illa  
sit actus simplex & absolutus, nitaturque justitiâ non nobis, sed  
Christo inhærenti, quatenus est caput nostrum, fiat autem no-  
stra per imputationem fidei: Regeneratio verò est actus divi-  
duus, qui simul & semel in nobis haud completur, sed perficitur  
paulatim intra nos ipsos, eoque non per imputationem fidei, sed  
per infusam nobis novam qualitatem existit; quam Pontificij  
peffimo consilio Justificationem primam nuncupant; infusam  
justitiam in locum imputatæ nobis Christi justitiæ nefariè sub-  
stituentes, ut inde operum merita extruant.

6. Partes Regenerationis omnino sunt duæ: prior mortifi-  
catio peccati, ex morte Christi, in quo jam vetus noster homo  
concrucifixus est, ut enervaretur corpus peccati, id est tota vis e-  
jus destrueretur, in nos derivata, ut ne nos amplius serviamus  
peccato. Rom 6. 7.

7. Alte-



7. Altera pars, priori succedanea, complectitur instaurationem & vivificationem novi hominis, qui secundum Deum conditus est in iustitia & sanctimonia veritatis, sicut est veritas in Christo Jesu (Ephes. 4. 21. 24.) derivaturque in nos paulatim vi resurrectionis Christi, qua vitam in lucem produxit, ac immortalitatem per Evangelium. 2. Timoth. 1. 10.

8. Ea etsi usque adeo nobis necessaria est, ut nisi renati ex aqua & spiritu regnum Dei videre, inque illud introire nequeamus, Johan. 3. 3. 4. (rebus terrestribus, utpote aquæ mundatione, significantibus nobis cœlestia, hoc est, mundationem Spiritus sancti) tamen illud arctè tenendum est, Regenerationem nostram non obtinere vim causæ nobis salutem ulla ratione promerentis; sed necessarium duntaxat vitæ æternæ esse antecedens, per quod est tendendum; ut omnis nostræ salutis gloria unius obedientiæ Christi merito in solidum vendicetur.

9. Medium offerendæ juxta ac acceptandæ Regenerationis gratiæ est verbû Evangelii, tum simpliciter annunciatû, tum sacramentis obsignatû, dicente Apostolo, Christum Ecclesiam dilexisse & semetipsum pro ea exposuisse, ut eam sanctificaret, purgans lavacro aquæ per VERBUM; per quod videlicet Spiritus sanctus est efficax in cordibus credentium, & resipiscentium. Ephes. 5. 6.

10. Conditio igitur resipiscendi, ac credendi in Regenerationis applicando nobis beneficio, mortificatione veteris Adami, & resuscitatione novi hominis definito, non minus ab omnibus & singulis requiritur, atque in negotio justificationis ad apprehendendam iustitiam imputatam est necessaria.

11. Quantumvis enim Resipiscencia & Fides sint Regenerationis principium: tamen ut sunt conditio beneficia in Evangelio oblata recipiendi, recte à Renovatione discernuntur, quia non continuò cuicumque remissio peccatorum, & donum renovationis per Evangelium offertur, sub conditione, ut resipiscat



scat & credat, etiam ipsa conditio requisita in eodem imple-  
tur, cum hoc sit donum solis electis peculiare, nunquam  
ab eis auferendum, ut alibi à nobis disputatum est. Ephes. 2. 8.  
2. Thessalon. 3. 2. Philippenf. 1. 29. Johan. 6. 65. Actorum 13. 48.  
Rom. 11. 28.

12. Frustra igitur sunt, qui vel ex opere operato, vel ex vi u-  
niversalis gratiæ, nullo habito promissionis verbi, nec fidei il-  
lud amplectentis respectu, astruunt, indifferenter Christum in-  
dubi ab omnibus, eoque omnes regenerari actu, quotquot a-  
quæ Baptismo tinguntur, cum non Baptismus, quo sordes  
abjiciuntur, servet, sed quo fit, ut bona conscientia, hoc est fide  
purgatis cordibus, interroget Deum, 1. Petr. 3. 21. licet infan-  
tibus tandiu promissio, fidelibus parentibus & eorum semini  
facta, maneat rata, quandiu propriâ incredulitate sibi promif-  
sionis verbum non faciunt irritum.

13. Porrò officium Regeneratorum est, ut ita se jam olim  
cum Christo peccato esse mortuos; Deoque vivere colligant: ut  
quemadmodum Christus in morte non mansit, sed in gloriam  
Patris excitatus est, ita & ipsi intra sese magis ac magis peccatum  
sepeliant, & in novitate vitæ ambulent, hoc est, Spiritum à carne  
opprimi ne patiantur, sed actiones corporis Spiritu subinde  
mortificent, alioqui morituri, si secundum carnem vixerint.  
Rom. 8. 13 Gal. 5. 16. 17.

14. Ne igitur regnet peccatum in mortali nostro corpore,  
ut ei obediamus in cupiditatibus corporis, animo videlicet assen-  
tendo: neque sistamus membra nostra arma injustitiæ peccato,  
corpore scilicet id exsequendo, (cupiditas enim posteaquã con-  
cepit, parit peccatum, peccatum autem peractum gignit mor-  
tem, Jacob. 1. 15.) Sed si Christi sumus, carnem cum passioni-  
bus & concupiscentiis habeamus crucifixam, Roman. 6. 12.  
Gal. 5. 24.

15. Imò



15. Imò ex opposito, si vivimus Spiritu, Spiritu etiam incedamus, ut sistentes nos Deo ex mortuis vivos, & membra nostra arma justitiæ Deo, obediamus ei typo doctrinæ, in quem sumus traditi, ipsi videlicet homœomate mortis & resurrectionis ejus implantati; Rom. 6. 13. Gal. 5. 24.

16. Quantumvis enim peccatum dominari constitutis sub gratia nequeat, ut eos ad totalem perditionem abripiat; eò quòd mortificati sumus Legi in corpore Christi, ne passionis peccatorum per Legem vigeant in membris nostris, ad fructum ferendum morti: tamen cum soli illi sint filii Dei, qui Spiritu Dei aguntur, nec sint Christi, qui Spiritum eius non habent, certum est, quòd cui quis obedit, eius servus est, vel peccati ad mortem, vel obedientiæ ad iustitiam. Rom. 6. 16. & cap. 7. 4. 5. & cap. 8. 14. Jo. 8. 34. Jerem. 13. 23.

17. Nulla igitur condemnatio est iis, qui sunt in Christo Jesu, qui non secundum carnem ambulant, eò quòd Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberaverit eos à lege peccati & mortis; si modò propositum stadium constanter decurrant: alioqui si prolabantur, per pœnitentiam rursus necessario sunt instaurandi, secus vitam non habituri: corpore quidem propter peccatum mortuo, at per inhabitantem Christi Spiritum in nobis rursus tandem vivificando Rom. 8. 1. 2. 11. Gal. 6. 1.

18. Omnium ergò liberatorum à peccato, & mancipatorum justitiæ summi interest, ut sicut olim stiterunt membra sua serva impuritati & iniquitati ad attrahendam sibi iniquitatem: ita ex contrario sistant nunc membra sua serva justitiæ ad sanctimoniam; cum peccatorum quidem fructus sint erubescendi, ac stipendium peccato debitum sit mors: Mancipatorum verò Deo fructus sit sanctimonia, finis autem vita æterna, donum illud Dei in Domino nostro Jesu Christo, Rom. 6. 19. & deinceps.

19. Igitur ad propositam supernæ vocationis palmam sic contendamus, ut obliti eorum, quæ retrò sunt, scopum versus fera-



feramur ad ea, quæ sunt ante nos, hoc est, ut cognoscentes Christi-  
stum, & vim resurrectionis ejus, & communionem passionum  
ejus, dum conformes simus ipsius morti, apprehendamus resur-  
rectionem mortuorum, prout apprehensi sumus: certò persuasi-  
cum Apostolo, quod qui incoepit in nobis opus bonum, perfici-  
et illud in diem usque Jesu Christi, cui sit laus honor &  
gloria in ævitatem æternam. Amen. Philipp. 1.6.  
& cap. 3. 10. 14.

*F I N I S.*





Datum der Entleihung bitte hier einstempeln!

07. Okt. 1996

misc. 23 digitalisiert PPN: 310442486

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0386743

Wh. ev. Dugm. polem. 208<sup>m</sup>



**Beatus** quidem unicum quod an

ff f f f f n . 4 f n f f

acceptum et sagacitate distribuere et

ff . . . ff . f .

impetravit **ps** Dñe mure **an**

**ff** . . .